



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Art. V. Quam gratiam causent Sacramenta novæ legis? An primam, vel
secundam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

illud præstandum: si ille non promiserit se illud facturum ad præsentiam talis rei, concedo. Si promiserit se illud facturum ad illius præsentiam, nego. Cum ergo in proposito Deus promiserit se daturum gratiam ad sacramentorum applicationem, illa possunt dici instrumenta moralia Dei.

146. Obijciens tertio: Ut sacramenta novæ legis essent instrumenta moralia Dei in productione gratiæ deberet Deus esse causa moralis gratiæ. Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Major patet, nam instrumentum morale respicit causam principalem ejusdem ordinis. Minor verò suadetur, Tum quia causa moralis non influit per se in effectum: Deus autem influit per se in gratiam. Tum etiam, quia non potest explicari causalitas moralis, quam Deus excreat una cum sacramentis.

147. Respondeo concessâ Majori, negando Minorem, ad cujus primam probationem, distinguo Minorem: Deus influit per se in gratiam, quatenus præcise est causa moralis illius, nego. Quatenus præter causalitatem moralem habet efficientiam physicam, concedo. Ad secundam dicendum, causalitatem Dei moralem consistere in hoc quod Deus promiserit se daturum gratiam ad præsentiam sacramentorum; vel in hoc quod Christo præcepit, ut applicaret suæ passionis merita sacramentis, quibus deinde ad dandam nobis gratiam moveretur ut antea explicatum est.

ARTICVLVS V.

Quam gratiam causent sacramenta novæ legis? An primam, vel secundam?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententia.

148. Notandum primò Gratiam sanctificantem solere distingui in primam & secundam. Illa prima dicitur, quæ primum infunditur subiecto, nondum habenti ullum gradum gratiæ sanctificantis, atque adeo existenti in peccato mortali, quod definit esse quando gratia infunditur. Illa verò appellatur secunda, quæ advenit subiecto jam grato, & gratiam jam præhabitam auget.

149. Notandum secundò: Sacramenta novæ legis alia esse quæ dicuntur *sacramenta vivorum*, alia quæ vocantur *sacramenta mortuorum*. Sacramenta mortuorum sic dicta sunt, quod pro mortuis spiritualiter, morte videlicet peccati, instituta sunt, & sunt duo, Baptismus & poenitentia. Sacramenta verò vivorum sic appellantur, quia Christus ea instituit pro viventibus vitæ spirituali animæ, quæ est vita gratiæ, & sunt alia quinque.

150. Notandum tertio: Dupliciter nos posse intelligere quod aliquod sacramentum causet primam vel secundam gratiam, nimirum per se, & per accidens. Illa sacramenta dicuntur per se causare primam gratiam, quæ sunt instituta à Christo ad conferendam gratiam homini in peccato originali vel mortali existenti. Illa vero dicuntur per accidens causare primam gratiam, quæ licet instituta sint ad augendam gratiam, possunt tamen interdum causare primam gratiam. Et in hoc etiam duplici sensu, possunt sacramenta dici causare secundam gratiam, ut consideranti patebit. His præmissis.

A Triplex hic occurrit difficultas breviter discutenda, & resolvenda. Prima est, utrum omnia sacramenta tam vivorum quam mortuorum caulent per se primam gratiam? Secunda, utrum saltem hoc sacramentis mortuorum conveniat, an sacramenta vivorum quæ per se causant gratiam, ordinantur ad causandam gratiam per accidens primam gratiam causare possint?

Quantum ad primum Nunno hic art. 1. difficultate 2. probabile esse dicit omnia sacramenta legis novæ per se conferre primam gratiam, hac tamen moderatione, ut duo sacramenta quæ dicuntur mortuorum, tam per se conferant: primum ex ratione communi sacramenti, sed ex propria ratione atomæ, cetera verò solent ratione communi, quia hic apparet major congruitas sacramentorum novæ legis; subdistingue tenentiam hanc à viris doctissimis subtiliter & riosè defendi. In illam inclinare videtur Joannes S. Thoma hic art. 1. dubio 2. ubi docet sacramenta novæ legis esse per se productiva primæ gratiæ ex ratione generica.

Quid secundum, Gabriel, Ocham, Minor & alii Nominales, docere olim nullum ex sacramentis novæ legis, etiam pro mortuis institutum, per se loquendo causare primam gratiam in adultis. Fundamentum eorum erat, quia ad hoc non sunt sufficienter dispositi ad aliquod sacramentum suscipiendum, nisi per contritionem unde cum contritio non sit sine gratia, nunquam adulti recipiunt fructuosè sacramentum aliquod, nisi præsupponantur in gratia. In quam opinionem incidunt Janenista, dum docent ad validitatem sacramenti poenitentis, prærequiri deborem sive detestationem peccatorum ex Dei detestatione procedentem, ac proinde qui sit vera contritio.

Quantum ad tertium Vaquez 3. parte disp. 103. cap. 4. Villalobos Tract. 4. difficult. 7. num. 4. Bernal disp. 11. sect. 2. docent sacramenta vivorum nunquam, etiam per accidens, causare primam gratiam. Alii id asserunt solum de quantum sacramentis, nimirum de Confirmatione, Eucharistia, Ordine & Matrimonio, & concedunt Extremam Unctionem in aliquo casu contra primam gratiam. Ita Cardinalis Delugo de Eucharist. disp. 12. sect. 1. num. 3. & 16. & Guis Hurtado disp. 3. difficult. 4.

Communis verò Thomistarum sententia tenet quidem non omnia novæ legis sacramenta causare per se primam gratiam, sed aliter duo sacramenta mortuorum, illam per se causare, non solum in parvulis sed etiam in adultis; sacramenta autem vivorum nunquam illam causare per se, bene tamen per accidens, atque adeo reddere de attrito contritum, nempe quando ille qui ad aliquod eorum accedit in peccato mortali existimat bonâ fide se esse in gratia, & attritionem habet, quam putat esse contritionem. Ita Capreolus, Cajetanus, Paludanus, Soto, & alii quos sequuntur, Suarez, Valentia, Granado, & alii communiter.

§. II.

Prima sententia reijciatur, & omnia sacramenta novæ legis non causare per se primam gratiam, breviter suadetur.

Dico primò: non omnia sacramenta novæ legis causant per se primam gratiam. Probatur

Probatur primò conclusio ratione fundamen-
tali. Illud dicitur convenire per se sacramentis,
quod convenit ex vi suæ institutionis: Sed omni-
bus sacramentis novæ legis ex vi suæ institutionis
non convenit causare primam gratiam: Ergo
omnia novæ legis sacramenta per se illam non cau-
sant. Major patet, nam sacramenta sunt signa
ad placitum, & ita omnem vim significativam &
causativam quam per se habent, debemus asse-
re illis convenire ex libera institutione Dei &
Christi; unde si aliquid ex vi institutionis non
convenit sacramentis, non potest ipsis convenire
nisi per accidens. Minor verò suadetur: Illa
sacramenta dicuntur instituta ad causandam pri-
mam gratiam, quæ sunt instituta ad remittenda
peccata: At omnia novæ legis sacramenta non
sunt instituta ad remittenda peccata, sed tantum
duo, nimirum Baptismus & Pœnitentia, quæ ad
tollendum peccatum originale & actuale institu-
ta sunt; alia verò instituta sunt ad alios effectus
producendos qui supponunt per se peccata re-
missa, & infusionem primæ gratiæ, ad conserva-
tionem & augmentum vitæ spiritualis, ut patet
de Confirmatione & Eucharistia: Ergo omnibus
sacramentis novæ legis, ex vi suæ institutionis
non convenit causare primam gratiam.

Confirmatur: Non alia de causa, aliqua sa-
cramenta novæ legis appellantur sacramenta
mortuorum, alia verò sacramenta vivorum, nisi
quia aliqua ordinantur ad mortuos spiritualiter
resuscitandos, subindeque ad producendam pri-
mam gratiam expulsiivam peccati: alia verò in-
stituta sunt ad magis perficiendam & augendam
spiritualem vitam gratiæ, & per consequens so-
lum ad producendam secundam gratiam, quæ
ita appellatur, ex eo quod adveniat subiecto jam
grato, & gratiam jam præhabitam augeat.

Respondet Nunno, hanc rationem, cum sua
confirmatione, convincere quidem omnia sa-
cramenta novæ legis, secundum rationes specifi-
cas atomas considerata, non causare per se pri-
mam gratiam; non probare tamen, quod ex ra-
tione communi & generica illam non causent:
licet enim (inquit) sacramenta vivorum ex sua ra-
tione specifica, sive differentiali, per se insti-
tuta sint ad solum augmentum gratiæ, sive ad
secundam gratiam producendam, atque adeo
ex tali ratione non habent conferre per se nisi
illud augmentum, sumpta tamen secundum
suam rationem genericam sacramenti novæ legis,
per se instituta sunt ad primam gratiam causan-
dam.

Verum hæc responsio, licet subtilis primâ
fronte videri possit, nihil tamen re ipsa solidita-
tis habet. Unde contra illam arguitur primò:
Implicat quod differentia distinguens duas species
eiusdem generis, conveniat per se utrique spe-
ciei, etiam secundum rationem genericam, sicut
fieri non potest ut rationale conveniat ullo
modo homini & equo: Sed causare per se primam
gratiam, est differentia distinguens sacramenta
mortuorum à sacramentis vivorum, ut jam o-
stensus est, & concedit Nunno: Ergo causare
per se primam gratiam, sacramentis vivorum
secundum rationem genericam convenire ne-
quit.

Secundò, Differentia non debet repugnare
rationi genericæ: Sed si sacramenta vivorum ex
ratione generica per se causarent primam gra-
tiam, eorum differentia repugnaret rationi ge-
nericæ.

Tom. V.

Anerica: Ergo sacramenta vivorum ex ratione ge-
nerica sacramenti novæ legis non habent per se
causare primam gratiam. Major est principium
certum in Metaphysica, ex duobus enim repug-
nantibus ad invicem, non potest una simplex
essentia resultare, qualis resultat ex genere &
differentia. Minor verò probatur. Per se non
causare primam gratiam, sed eius augmentum
& perfectionem accidentalem, repugnat ei quod
est causare per se primam gratiam: Atqui sacra-
menta vivorum ex propria ratione differentiali
habent per se non conferre primam gratiam,
sed augmentum & perfectionem accidentalem
ipsius: Ergo si ex ratione generica per se con-
ferrent primam gratiam, differentia ipsorum re-
pugnaret rationi genericæ.

B Tercio, Distinctio illa metaphysica quoad cau-
salitatem gratiæ, absque fundamento fingitur,
sacramenta enim sub nulla ratione virtutem ha-
bent gratiæ productivam, nisi ex institutione
Christi: Christus autem nullam institutionem
fecit sacramentorum secundum rationem gene-
ricam, sed solum singula instituit ad suos specia-
les fines & effectus; & quamvis ex hac institu-
tione factum sit, ut conveniant omnia in ali-
quibus rationibus communibus quas intellectus
abstrahere potest, & præcisè considerare, ta-
men hoc ad nostram tantum speculationem per-
tinet, non vero ad practicam institutionem,
utpote, quæ per se particularia, & proprios ac
determinatos fines respicit, non generales, nisi
quatenus in specificis continentur.

C Confirmatur hæc impugnatio: Vel Christus
fecit aliquam institutionem sacramentorum quæ
dicuntur pro mortuis, secundum rationem ge-
nericam, vel non fecit? Si fecit, quæro ad quid
illa instituerit secundum rationem genericam?
Non ad causandam primam gratiam, quando-
quidem docet Adversarius id eis convenire secun-
dum rationem specificam, Si respondeat ad gra-
tiam ut sic, abstrahendo à primâ & secundâ,
idem dicam de sacramentis vivorum, ea nimirum
secundum rationem genericam non fuisse insti-
tuta neque ad primam neque ad secundam gra-
tiam, sed ad gratiam ut sic. Si respondeat, Chri-
stum non instituisse sacramenta mortuorum se-
cundum rationem genericam, sed secundum
specificam, quare non idem dici poterit de sacra-
mentis vivorum?

D Probatur secundo conclusio: Si omnia sacra-
menta causarent per se primam gratiam, sacra-
menta vivorum possent digne suscipi ab eo qui
consciis peccati mortalis cognosceret se esse
solum attritum supernaturaliter, non vero con-
tritum: licet enim cum conscientia peccati
mortalis accedere ad sacramentum quod per se
ad illud expellendum institutum est, quale est
sacramentum per se conferens primam gratiam:
Atqui secundum fidem qui conscius sibi peccati
mortalis, cum sola attritione, etiam super-
naturali, cognita ut tali, sacramentum vivo-
rum, v.g. Eucharistiæ, susciperet, indigne illud
reciperet: Ergo omnia sacramenta non causant
per se primam gratiam.

E Respondet Nunno negando sequelam: cum enim
(inquit) ratio generica sacramenti vivorum
non possit habere suum effectum, nisi ratio spe-
cifica habeat etiam suum proprium effectum, ut
digne quis accedat ad tale sacramentum, ne-
cesse est quod sit dispositus, saltem per se
loquendo, non solum ad receptionem primæ
gra-

161.

162.

163.

16.

gra-

gratia, correspondentis rationi genericæ talis sacramenti, sed etiam ad receptionem augmenti gratiæ, correspondentis rationi specificæ: qui autem habens conscientiam peccati mortalis, est solum attritus non est sufficienter dispositus ad secundam gratiam, sed tantum ad primam.

Sed contra: Vel sacramentum vivorum per se requirit unam tantum dispositionem, vel duplicem? Si unicam, vel illa dispositio correspondere debet rationi specificæ sacramenti, atque adeo esse contritio, & tunc nunquam sacramentum illud per se causabit primam gratiam, utpote requirens per se in fuscipiente aliquid impossibile cum carentia primæ gratiæ, videlicet contritionem: vel illa unica dispositio correspondere debet solum rationi genericæ, atque adeo esse tantum attritio; & nunc qui sibi conscius erit peccati mortalis poterit cum sola attritione cognita ut tali, digne accedere ad illud sacramentum. Quod si dicatur sacramentum vivorum duplicem in peccatore fuscipiente requirere dispositionem, attritionem videlicet correspondentem rationi genericæ, & contritionem, correspondentem rationi specificæ. Contra erit primo, quod attritio & contritio sint simul impossibiles in eodem subiecto, utpote cum attritio dicat carentiam gratiæ justificantis, quam contritio essentialiter importat, quia contritio est dolor informatus gratiæ & charitate; attritio vero est dolor non informatus gratiæ & charitate. Contra secundo: Impossibile est Eucharistiam producere primam gratiam in subiecto in quo supponit actum contritionis.

166. Probatur tertio conclusio: Ut sacramenta vivorum per se conferrent primam gratiam, secundum rationem genericam, oporteret quod ratio genericæ sacramenti novæ legis esset conferre primam gratiam: Atqui ratio genericæ sacramenti novæ legis, non est conferre primam gratiam, sed conferre gratiam absolute, abstrahendo à primâ & secunda: Ergo sacramenta vivorum per se non conferunt primam gratiam. Major patet, Minor vero probatur. Ratio genericæ sacramenti novæ legis, ea est quam determinant omnes differentie specificæ sacramentorum novæ legis: Sed ratio quam determinant differentie specificæ sacramentorum novæ legis, non est conferre primam gratiam, quandoquidem ista ratio differentia essentialis Baptismi & penitentiae, bene tamen conferre gratiam absolute, abstrahendo à primâ & secunda, ut manifestum est: Ergo &c.

§. III.

Solvuntur obiectiones

167. Obijciens primò: Juxta Confilia & SS. Patres articulo 1. citatos, sacramenta novæ legis, quæcumque illa sint, dicuntur simpliciter & absolute causa gratiæ: At nisi causarent primam gratiam, non absolute & simpliciter dici possent causa gratiæ, sed tantum cum addito; nam secunda gratia, sive eius augmentum, non significat gratiam simpliciter & absolute, sed tantum eius modum seu intentionem: Ergo omnia sacramenta novæ legis causant primam gratiam.

168. Respondeo negando Minorem, cum enim augmentum gratiæ, sive quilibet gradus ipsius, sit vera gratia, sicut quilibet gradus caloris est

A verus calor, et si aliqua sacramenta novæ legis, illa videlicet quæ vivorum sacramenta dicuntur, per se non causent primam gratiam, sed solum eius augmentum, seu aliquem gradum illius, absolute & per se debent dici causa gratiæ. Vnde etiam in Scriptura qui crescit in gratia, dicitur justificari, Eccles. 18. Ne verearis si quis ad merum adhuc. Licet ergo apud Theologos nomine gratiæ intelligatur prima, ut in materia de merito, in qua ad tollendam æquivocationem, ne quis videatur concedere primam gratiam cadere sub merito condigni, contra doctrinam Tridentini sessionis 6. canone ultimo, dicitur: Inguisoleat gratia & augmentum gratiæ: non tamen est cur augmentum gratiæ non possit appellari absolute gratia, cum sit ejusdem ordinis no rationis & essentiae cum primâ gratia.

Obijciens secundò: Passio Christi per se, non verò solum per accidens, remittit peccata, & tribuit primam gratiam: Sed omnia sacramenta novæ legis, etiam illa quæ pro vivis instituta sunt, continent per se, & non solum per accidens, virtutem passionis Christi: Ergo per se, & non solum per accidens, possunt primam gratiam producere.

Respondeo distinguendo Minorem: Sacramenta vivorum continent per se virtutem passionis Christi, universali ter sumptam, sicut etiam in ipsa passione Christi, sive in ejus humanitate, ratione passionis, nego Minorem. Continent per se virtutem passionis Christi, limitate participatam, & ut determinatam ad producendam per se secundam gratiam, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

Si insites, & dicas, ex hac limitatione sequi quod sacramenta vivorum non possint etiam per accidens primam gratiam efficere. Negabitur sequela, quia licet virtus passionis Christi non derivetur per se ad illa, nisi ad solum augmentum & perfectionem accidentalem gratiæ per accidens tamen in aliquo casu communicatur ipsis talis virtus à Christo, non solum ad augmentum, sed etiam ad primam productionem gratiæ, ut patet ex dicendis §. 3.

D Obijciens tertio: Omne agens quod per se potest intendere aliquem habitum, potest etiam illum quoad suam entitatem producere: Sed sacramenta vivorum causant per se augmentum gratiæ: Ergo possunt etiam per se causare entitatem gratiæ, subindeque primam gratiam. Major probatur non major, imò minor requiritur virtus ad producendum habitum quoad suam entitatem, quam ad illum augendum: Ergo omne agens quod per se potest intendere aliquem habitum, potest etiam illum quoad suam entitatem producere.

E Respondeo negando Majorem, ad probandum, concessio Antecedente, nego Consequentiam: ut enim sacramenta vivorum dicantur causare per se primam gratiam, non satis est quod habeant in se sufficientem virtutem ad producendam gratiæ entitatem, sed insuper exiguntur ut ad sic producendam sint instituta: unde cum sacramenta vivorum non sint instituta à Christo ad producendam entitatem ipsam gratiæ, sed ad illam augendam; licet virtus quam habent à participatione Christi sit sufficiens ad illam producendam & de facto illam interdum producant, ut infra dicemus, non tamen propterea causant per se primam sed secundam gratiam.

Dices, D. Thomas 3. parte quæst. 79. art. 3. de Eucharistia loquens ait, quod virtus huius sacramenti potest considerari dupliciter: uno modo secundum se, & sic hoc sacramentum habet ad virtutem remittendum quaecumque peccata, ex passione Christi, quæ est fons & causa remissionis peccatorum. Sed peccata non remittuntur nisi per infusionem primæ gratiæ: Ergo Eucharistia ex se & per se habet conferre primam gratiam.

Respondeo hunc locum D. Thomæ cui potissimum confidit Adversarius, non adversari nostræ sententiæ, sed potius eam confirmare, & explicare: nihil enim aliud intendit S. Doctor, quam quod si virtus Eucharistiæ consideretur absolute & in abstracto, prout ambit tam ea quæ per se, quam illa quæ per accidens ipsi communicantur passioni Christi, est efficax ad remittenda quaecumque peccata; si verò consideretur per comparisonem ad recipiendum sacramentum, hæc virtus contrahitur ad duas species, quarum alia per se respicit augmentum gratiæ producendum, alia verò per accidens ad causandam primam gratiam ordinatur; quando per accidens recipitur à subiecto non existente in gratia, non habente tamen impedimentum ad gratiam, & invincibiliter ignorante esse in statu peccati. Unde particula, *secundum se*, quæ utitur S. Thomas loco citato, non idem sonat ac per se, sed idem valet ac absolute, & in abstracto.

§. V.

Secunda opinio refellitur, & aliqua novæ legis sacramenta, per se primam gratiam, etiam in adultis causare, breviter ostenditur.

Dico secundò: causare primam gratiam etiam in adulto, per se convenit sacramentis mortuorum, Baptismo scilicet & Pœnitentiæ.

Probatum primo conclusio ratione fundamentali: Illud per se convenit sacramentis mortuorum ad quod per se instituta sunt: sed sacramenta mortuorum sunt per se instituta ad causandam primam gratiam: Ergo per se illis convenit causare primam gratiam. Major patet ex supra dictis, Minor probatur. Sacramenta mortuorum per se instituta sunt ad delendum peccatum mortale, originale, vel actuale: Atqui illa peccata non delentur per secundam gratiam, sed per primam; sicut enim secunda gratia necessario præsupponit primam, quia nihil aliud est, quam ipsius augmentum, ita præsupponit peccatum mortale deletum, utpote impossibile cum prima gratia: Ergo sacramenta mortuorum ad causandam primam gratiam per se instituta sunt.

Confirmatur: Si Baptismus & Pœnitentia non causarent per se primam gratiam, nulla esset ratio ob quam ad differentiam aliorum appellantur sacramenta mortuorum, quandoquidem æque ac illa, vitam spirituales animæ, sive primam gratiam, præsupponerent.

Probatum secundo conclusio ab absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia, simul præcipuum eius fundamentum convellitur. Si remissio peccati originalis & actualis in adultis non fieret nisi per contritionem ut includentem votum Baptismi vel pœnitentiæ, & ad

validitatem horum sacramentorum non sufficeret attritio, sed requireretur dolor seu detestatio peccatorum ex Dei dilectione procedens, ac proinde quis sit vera contritio, institutio sacramentorum novæ legis non contulisset hominibus faciliorem viam ad justificationem obtinendam per sacramenta, quam sine sacramentis: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud. Minor constat, quia finis institutionis sacramentorum novæ legis est ut homines facilius justificentur, & maiorem gratiam consequantur, juxta illud Christi Joan. 10. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant*

Sequela etiam Majoris evidens est, si enim antequam aliquis accedat ad sacramentum Pœnitentiæ v. g. necessario debeat habere contritionem, cum nullus illam habeat, nisi simul habeat gratiam, & sit justificatus, non erit facilius justificari per sacramentum pœnitentiæ, quam extra illud. Unde ad vitam dum hoc inconveniens, necessario dicendum est, ad utilem huius sacramenti susceptionem, sufficere imperfectam aliquam peccatorem detestationem, quæ dicitur attritio; & ideo sacramentum pœnitentiæ dici facere de attrito contritum, quia revera efficit subiectum à quo recipitur de habente solum attritionem, habens saltem habitualiter contritionem, eò quod ad gratiam in tali sacramento collatam, cum aliis virtutibus infusis, sequatur etiam pœnitentia, quæ est habitualis contritio: vel quia ipsum sacramentum est æquivalenter sive virtualiter contritio, eò quod loco ipsius substituitur, & suppleat eius defectum. De quo fufius in Tractatu de Pœnitentia.

Ex his solum manet præcipuum fundamentum Nominalium, falsum enim supponunt, nempe adultos non esse capaces recipiendi sacramenta etiam mortuorum, nisi habeant contritionem, alias nulla esset differentia inter sacramenta mortuorum & viventium, & falsum esset quod communiter docent Theologi, nimirum sacramenta mortuorum facere hominem de attrito contritum.

Nec obstat illud Gregorij magni homil. 26. super Evang. *Non debemus nos per pastoralem auctoritatem solvere, nisi quos Authorem nostrum per suscitantem gratiam cognoscimus vivificare*. Sensus enim illorum verborum iste est, non debemus nos sacerdotes absolvere sacramentaliter, nisi eos qui per gratiam Dei excitantem & suscitantem concipiunt motum doloris de peccatis, & incipiunt per gratiam vivificari, scilicet dispositivè. Ex quibus nihil contra nos.

Ex dictis etiam confutatum manet quod asserit Serra hic art. 1. dubio 3. conclus. 2. nimirum causare augmentum gratiæ, per se convenire omnibus sacramentis, etiam illis quæ sacramenta mortuorum dicuntur. Nam, ut supra dicebamus, sacramenta illam gratiam causant per se & directè, quam causant ex institutione propria & peculiari unicuique: Sed ex institutione peculiari Baptismi, & Pœnitentiæ, non est sacramenta illa causare augmentum gratiæ, quia Baptismus est regeneratio, & dat per se primum esse in ordine supernaturali; Pœnitentia verò est secunda post naufragium tabula, & directè solum habet liberare à morte peccati: Ergo hæc sacramenta per se & directè non causant augmentum gratiæ, sed per accidens tantum, & indirectè, quando nimirum eam in subiecto jam per actus contritionis vel charitatis productam inveniunt.

180. Addo quod, Cum secunda gratia, sive augmentum gratia, causari nequeat, nisi præsupposita prima gratia, ut sacramenta mortuorum causarent per se secundam gratiam, oporteret quod supponerent per se primam gratiam: Sed non supponunt per se primam gratiam: alias enim, cum per se etiam causent primam gratiam, & eam per se causare nequeant, nisi supponendo per se eius carentiam, simul supponerent per se, & non supponerent per se primam gratiam: Ergo &c.

§. V

Tertia difficultas expeditur, & ostenditur sacramenta vivorum, per accidens aliquando conferre primam gratiam.

Dico tertio: Sacramenta vivorum per accidens interdum causant primam gratiam.

181. Probatur primò ex D. Thomæ, qui variis in locis manifeste conclusionem istam docet: nam in *infra* quæst. 72. art. 7. ad 3. de sacramento Confirmationis sic loquitur: *Si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfecte contritus accedat, dummodo non scilicet accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento, consequetur remissionem peccatorum.* Et quæst. 79. arti. 3. de Eucharistia ait: *Potest hoc sacramentum operari remissionem peccatorum dupliciter: uno modo non perceptum actu, sed voto, sicut cum quis primo iustificatur à peccato: alio modo etiam perceptum ab eo qui est in peccato mortali, cuius conscientiam & affectum non habet, forte enim primo non fuit sufficienter contritus, sed devotè & reverenter accedens, consequetur per hoc sacramentum gratiam charitatis, quæ contritionem perficit, & remissionem peccati.* Item in 4. dist. 23. qu. 1. arti. 2. loquendo de Extrema Unctione. *Quia* (inquit) *hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum, ideo ex consequenti si invenit peccatum aliquod vel mortale, vel veniale, quod ad culpam tollit ipsum, dummodo non ponantur obex ex parte recipientis (sicut etiam de Eucharistia & Confirmatione supra dictum est) & ideo Iacobus de remissione peccati conditionaliter loquitur dicens, si in peccatis sit, dimittuntur ei, quod ad culpam, non enim semper delet peccatum, qui non semper invenit sed semper remittit, quoad debilitatem prædictam, quam quidam reliquias peccati dicunt.* Quo nihil clarius & expressius in favorem nostræ conclusionis dici potest.

182. Respondet Delugo, sensum D. Thomæ locis citatis non esse quod per illa sacramenta immediate remittatur peccatum in casibus illis, sed solum mediante auxilio ad eliciendum contritionem necessario, quod sumptio illorum impetrabit peccatori, bona fide ad ea accedenti.

Sed contra primò: D. Thomas locis citatis nullam omnino facit mentionem auxilij ad actum contritionis impetrandi: Ergo gratis omnino ita D. Thomam interpretatur Delugo.

Secundo: ille fatetur loco supra citato, Extremam Unctionem in aliquo casu, juxta doctrinam D. Thomæ, causare immediate primam gratiam: Sed D. Thomas eodem modo loquitur locis citatis de Confirmatione, & Eucharistia, ac de Extrema Unctione: Ergo sentit, tria illa sacramenta per accidens interdum remittere peccatum, & conferre primam gratiam immediate, & non solum mediante auxilio, ad eliciendam contritionem necessario. Idemque, de aliis sacramentis

A vivorum, Ordine scilicet & Matrimonio, accedendum est.

Probatur secundò conclusio: Si quis confitetur la attritione supernaturali de peccatis confessus, sed ex malitia sacerdotis non absolutus, propter tamen existimans se esse absolutum, atque adeò contritum, accedat consequenter ad illud quod sacramentum vivorum, puta ad Eucharistiam, tunc non ponit obicem primæ gratiæ: Ergo illam saltem per accidens virtute sacramenti recipit. Probatur consequentia, quia cum Christus instituerit omnia sacramenta, ut sint organa per quæ illius merita nobis applicentur, & gratia conferatur, verisimile est, ea ita instituisse, ut aliquem gradum gratiæ conferant omnibus non ponentibus obicem ejus receptioni aliunde verò primus gradus gratiæ non est excellentior secundo. Ergo si homo nullum in dicto casu habeat obicem primæ gratiæ, verisimile est, quod illam recipiet infallibiliter, virtute sacramenti Eucharistiæ ad quod accedit.

Dices cum Delugo: licet in sacramento Baptismi, vel Penitentia, peccatum actuale mortale, solà attritione supernaturali detestatum, atque adeò non remissum, non sit obex effectui illorum sacramentorum, quia nimirum illa sacramenta de se auferunt peccatum, tamen propter rationem oppositam quia sacramentum Eucharistiæ causat nutritionem spirituales, cui statim peccati opponitur, in casu argumenti, peccatum lethale cum quo homo accedit ad Eucharistiam, est sufficiens obex ad gratiam virtute talis sacramenti recipiendam.

Sed contra: Obstaret quidem in casu nostro, effectui proprio sacramenti Eucharistiæ, peccatum de quo solum habetur attritio, si prius puritate naturæ, quam conferretur augmentum gratiæ per accidens in dicto casu non remitteretur; sed cum in tali casu prius natura quam conferatur augmentum gratiæ per Eucharistiam, peccatum illud quod homo invincibiliter ignorat per accidens ex vi talis sacramenti remittitur & fiat ex attrito, habitualiter contritus, nulli omnino est hæc Adversarii responsio.

Probatur tertio conclusio: Sacramenta mortuorum interdum per accidens causant secundam gratiam, ut concedunt Adversarii, etiam instituta sint ad conferendum per se primam gratiam: Ergo reciprocè sacramenta vivorum, sicut per se ordinata ad collationem secundæ gratiæ, tamen ex accidenti interdum simul conferunt primam gratiam.

Negat paritatem Delugo, quia (inquit) multo major requiritur virtus ad causandam primam gratiam, & tollendum peccatum, quam ad causandum augmentum gratiæ in homine iusto, idque probat ex eo quod homo iustus possit sibi mereri de condigno augmentum gratiæ, non tamen primam gratiam post lapsum recipientem.

Sed contra: Primus gradus gratiæ non est excellentior secundo. Deinde, quod iustus non possit sibi mereri de condigno primam gratiam acquirendam post lapsum, bene tamen augmentum gratiæ non ex eo provenit quod unum, per se loquendo, difficilius sit alio, sed præcisè quia principium meriti, quale est gratia, non potest cadere sub merito.

Denique suaderi potest conclusio: Serpens dicit quod ægrotus proximis morti nequeat aliud sacramentum suscipere, nisi Extremam Unctionem.

rem, & in illis angustiis difficillimum sit elicere contritionem: Ergo credendum est, clementiam divinam instituisse, & ordinasse, ut hoc sacramentum tunc illi subveniat, & per accidens primum gratiam conferat. Et hoc sibi persuadent fideles, cum adeo solliciti sunt non discedere sine Extrema Unctione, quamvis non sit sacramentum tantæ necessitatis, sicut Baptismus, & Pœnitentia. Si autem hoc concedendum est Extreme Unctioni, ut fatetur Delugo, non est cur Eucharistia denegetur: tum quia ipsa fontem gratiæ & vitæ continet: tum etiam, quia sicut de Extrema Unctione dicitur Jacobi 5. *Si in peccatis sit remissus ei*; ita Ecclesia petit, quod Eucharistia sit *ablutio scelerum*.

§. VI.

Solvuntur objectiones.

Contra conclusionem istam obijciuntur primò: Sacramentis nullum effectum ex opere operato attribui possumus, nisi aut definitione Ecclesiæ expressum, aut traditione Patrum acceptum, aut Scripturâ traditum sit, aut saltem ex illorum propria natura & institutione efficaciter deducatur: Sed nihil horum habemus, ut productionem primæ gratiæ, etiam solum per accidens, sacramentis vivorum tribuamus: Ergo illorum effectum ipsis adscribere non debemus.

Secundo, Sacramentum Confirmationis est in vita spirituali, sicut potentia augmentativa in vita naturali; & Eucharistia, sicut potentia nutritiva. Sed potentia augmentativa, & potentia nutritiva, essentialiter præsupponunt vitam naturalem: Ergo similiter sacramenta Confirmationis & Eucharistiæ, essentialiter supponunt vitam supernaturalem animæ, quæ habetur mediante primâ gratiâ, & consequenter nunquam etiam per accidens illam conferunt.

Tertiò, Cibus quantumcumque applicetur mortuo, non potest ei vitam restituere: Ergo similiter sacramentum Eucharistiæ, quod est per modum cibi spiritualis, applicatum animæ per peccatum mortuæ, non potest, etiam per accidens, illi vitam gratiæ restituere.

Quartò, Qui solum attritus putat se esse contritum, non magis dici potest sufficienter dispositus ad sacramenta vivorum, quam qui solum attritus cognoscit se esse tantum attritum; quod enim putet se esse contritum, hoc oritur ex ignorantia: ignorantia autem non facit hominem magis dispositum ad effectum gratiæ: Ergo non magis recipit effectum sacramenti, subindeque primam gratiam, quam qui sciens se esse tantum attritum, accederet ad Eucharistiam.

Ad primam respondeo distinguendo Majorem: sacramentis nullum effectum attribui possumus, certo & tanquam de fide, aut tanquam demonstrabile demonstratione Theologicâ, nisi aut definitione Ecclesiæ expressum sit &c. concedo Majorem. Sacramentis nullum effectum attribui possumus, probabiliter & conjecturaliter, nisi &c. Nego Majorem; ad hoc enim sufficit quod ille effectus qui sacramentis adscribitur, non adversetur doctrinæ Scripturæ, determinationi Ecclesiæ, & traditioni Patrum, & verissimiliter ex ipsa institutione sacramentorum, eorumque excellentia deducatur, maxime si graves Theologi ita sentiant, quæ omnia concurrunt in præsentia materia. Nam in primis nullus locus Scripturæ, aut traditionis Patrum, aut deter-

Tom. V.

minationis Ecclesiæ, hæcenus objectus est, cui nostra opinio videatur adversa. Secundo id verissimiliter deducimus ex institutione, natura, & nobilitate sacramentorum legis gratiæ; cum enim, ut dicebamus, Christus instituerit sacramenta novæ legis, tanquam instrumenta & organa suæ gratiæ nobis conferendæ, verissimile est, instituisse ut eam conferant omnibus qui impedimentum ipsi non ponunt: qui autem solum attritus de peccato, existimant bonâ fide se esse contritum, nullum videtur apponere impedimentum gratiæ recipiendæ in sacramentis vivorum. Cui congruentia generali pro omnibus sacramentis vivorum, addi potest specialis pro Eucharistia, nimirum quod cum realiter Christum contineat, qui est fons vitæ, verissimile est quod potest mortuos morte peccati vivificare. Denique D Thomas, & communiter eius Discipuli, alique celebres Theologi extra ejus Scholam, quos supra citavimus, ita pie sentiunt.

Ad secundum respondetur quod licet sacramentum Confirmationis, & sacramentum Eucharistiæ, sint per se in vita spirituali, sicut potentia augmentativa & potentia nutritiva in vita naturali, sunt tamen etiam interdum, licet solum per accidens, sicut potentia generativa.

Ad tertium respondetur, cibum quidem materiale qui convertitur in substantiam aliti, mortuo applicatum, esse in capacem vitam ei restituere; cibum tamen spirituale Eucharistiæ, qui est vita per essentiam, & qui alitum potest in se convertere, posse etiam hominem mortuum morte peccati, sed tamen de eo attritum, attritione quam bonâ fide credit esse contritionem, vivificare; præsertim cum homo ille non sit ita mortuus, quin possit aliquem actum vitæ supernaturalis, licet imperfectum, exercere, manducando cibum illum, etiam aliquo modo supernaturaliter, videlicet illum suscipiendo cum fide & reverentia.

Ad quartum distinguo Antecedens: Qui solum attritus putat se esse contritum, non magis est dispositus positivè ad sacramenta vivorum, quam qui solum attritus cognoscit se non esse contritum, concedo. Non magis est dispositus negativè, nego, ignorantia enim ipsius facit ut non indignè accedat ad hoc sacramentum.

ARTICVLVS IV.

Quid addat gratia sacramentalis supra gratiam habitualement

Supponit titulus, gratiam sacramentalem (id est per sacramenta productam) addere aliquid supra gratiam habitualement, imò & supra virtutes & dona Spiritus Sancti, quæ ad instar passionum consequuntur infusionem gratiæ habitualis. Et ratio evidens est, Nam ille qui extra sacramentum justificatur, habet gratiam habitualement, virtutes omnes infusas, sicut & dona Spiritus Sancti, nec tamen habet gratiam sacramentalem: Ergo signum est illam aliquid addere supra gratiam habitualement. In hoc ergo conveniunt omnes Theologi, sed dissident in explicando quod sit illud superadditum: Divus enim Bonaventura, Richardus, & Gabriel, existimant gratiam sacramentalem non addere supra gratiam gratum facientem, nisi respectum ad sacramentum tanquam ad causam: ita ut in hoc solum hæc duæ gratiæ differant, quod gratia gratum

I ij

faci-